

Var. η: Ut praecedens, antennis autem albidis, tantum articulo primo nigro.

Hab. locis aridis in Artemisia: Europa fere tota: Sibiria (Irkutsk!), Dr F. SAHLBERG. *Varr. δ, ε et ζ* praesertim in Rossia meridionali!, sed etiam in reliquis partibus (ex. gr. in Svecia media!) territorii occurrunt.

Descr.: Corpus colore varians, subtus semper nigrum, nigricans vel fuscescens, subtilissime griseo-pubescentis, supra pilis longioribus albis, fragilibus et faciliter divellendis, magis minusve dense pubescens. Caput dimidio marginis basalis pronoti paullo latius vel huic latitudine fere aequale, nigrum vel nigricans, macula verticis utrinque lutea, interdum (*var. δ*) fuscescenti-testaceum vel sub-ochraceum, loris, genis et clypeo fusciscentibus vel fuscis; vertice oculo fere duplo aut duplo (♂) vel circiter duplo et dimidio (♀) latiore. Oculi nigri. Rostrum testaceum, apice nigro, coxas posticas haud superans. Antennae corpore cum hemelytris $\frac{1}{4}$ (♂) vel $\frac{1}{3}$ (♀) breviores, articulo secundo latitudine pronoti basali paullo longiore (♂) vel hoc paullo brevior (♀), duobus ultimis simul sumtis secundo longioribus; nigrae, ipso apice articuli secundi articulisque duobus ultimis fuscescenti-testaceis, vel testaceae, articulo primo dimidioque basali articuli secundi nigris. Pronotum basi longitudine duplo (♂) — magis quam duplo (♀) latius, nigrum, grisescens et lateribus fuscescens vel grisescenti-albicans, callis plerumque ochraceis. Scutellum nigrum vel fuscescens, angulis basalibus testaceis, aurantiaco-fuscis vel fere ochraceis. Hemelytra nigra, tantum sutura clavi et basi cunei albida, vel etiam clavo et corio basi hujusque margine externo albidis; interdum grisescenti-albida, clavo dimidio apicali, corio apicem versus cuneoque, basi excepta, fuscis vel fuscescentibus, vel fere tota sordide albida, tantum cuneo griseo-fuscescenti aut fuscescenti-testaceo, basi tamen semper latius albido; membrana magis minusve obscurata, venis maculaque ad apicem cunei semper albidis, saepe nigricans, areolis totis infuscatis, interdum dilutius fumata, areolis tantum apice vel tantum areola majore fuscescentibus. Femora nigra vel nigro-fusca, ipso apice testaceo; femora anteriora in *varr. δ—η* pallide testacea, ad apicem marginis superioris puncto nigro notata, vel femora intermedia leviter et postica obscurius fuscescentia. Tibiae testaceae vel albedo-testaceae, ipsa basi maculisque ad basin spinarum nigrarum nigris. Tarsi obscurius testacei vel fuscescentes, articulo ultimo cum unguiculis fusco vel nigro.

10. *Plagiognathus ? breviceps* REUT.

Diagnosis: Subtiliter flavescenti-pubescentis, supra colore varians, subtus virescens, pectore medio nigro-fusco, lateribus sub-aurantiaco vel rufo-testaceo; capite fortiter transverso, vertice plano, arcu fusco, antice convexo, maculis quatuor formato signato, fronte macula magna utrinque transversim fuscolineata notata, clypeo nigro; femoribus supra apice fusco-punctatis, subtus seriibus duabus punctorum fuscorum, tibiis spinulis nigris e punctis minutis fuscis nascentibus, ipsa basi concolore vel leviter fuscescente. Long. ♀ 3 mm.